




Dissertatio juridica inauguralis ad legem LV. D. de acquirendo rerum dominio

<https://hdl.handle.net/1874/291334>

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS.
 A D
**LEGEM LV. D. DE ADQUIRENDO
 RERUM DOMINIO**
 QUAM
 DUCE ET AUSPICE DEO T. O. M.
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,
JOANNIS DAVIDIS HAHN,
 Philos. & Med. Doct. Philosophiæ, Physices Experimen-
 talis & Astronomiæ Professoris Ordinarii,
 NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, atque
Nobilissimæ FACULTATIS JURIDICÆ decreto,
 PRO GRADU DOCTORATUS,
 Summisque in UTROQUE JURE Honoribus &
 Privilegiis rite ac legitime consequendis,
Eruditorum Examini submittit,
ADRIANUS MATTHIAS TEMMINCK. AMISFUSTENSIS.
ad diem 21. Junii, H. L. 2. S.



TRAJECTI AD RHENUM,
 Ex Officina JOANNIS BROEDELET,
 ACADEMIÆ TYPOGRAPHI. MDCCLV.

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

A D

LEGEM ET DE ADQUIRENDO

REUM DOMINIO

DOCE ET AUSPICE DEO T. O. M.

Et Auctoritate Magistri Roberti

JOHANNIS DAVIDIS HAHN

Philol. & Med. Doct. Philologiae, Physices Experimentum.

et in Altonaensi Profectoris Ordinari

VERONIA

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, dignis

Nobilissimi FACULTATIS JURIDICAE decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIS &

REVERENTIAE ACADEMIAE AUCTORITATE

ADRIANUS MARTINUS TEMMING



TRAJECTI AD RHINUM
EX OFFICINA JOHANNIS ROEDELII
ACADEMIAE TYPOGRAPHI REGII

VIRO NOBILISSIMO ET
AMPLISSIMO,
CONRADO TEMMINCK,
URBIS AMISFURTI CONSULARI ET SENATO-
RI, AD AGGERIS VULGO *de Slaperdyk*, CU-
RAM DELEGATO, PATRI SUO INDULGEN-
TISSIMO, OMNI PIETATE AD EXTREMUM
VITÆ HALITUM DEVENERANDO.

VIRO NOBILISSIMO ET
AMPLISSIMO,
JOANNI GUILIELMO
KOOL,
URBIS AMISFURTI IUDICI ET SENATORI,
AVUNCULO SUO PERPETUO AMORE ET OB-
SEQUIO COLENDO.

UT ET
VIRO NOBILISSIMO ET
AMPLISSIMO,
EGBERTO D'VRY TEMMINCK,

J. U. D.

URBIS AMSTELODAMI CONSULARI ET SE-
NATORI, NECNON THESAURARIO ORDINA-
RIO, AD CONSILIUM STATUS ILLUSTRISSI-
MORUM ET PRÆPOTENTIUM FOEDERATI
BELGII ORDINUM NUPER DELEGATO, SO-
CIETATIS INDIAE ORIENTALIS MODERATO-
RI, COGNATO SUO OMNI HONORE ET OB-
SERVANTIA, DUM SPIRITUS HOS REGET
ARTUS, SUSPICIENDO,

*Has studiorum suorum primitias
ea, qua fas est, reverentia,*

D. D. D.

A. M. TEMMINCK.



DISPUTATIO JURIDICA
 INAUGURALIS
 AD LEG. LV. D.
 DE ADQUIRENDO RERUM DOMINIO.
 VERBA LEGIS.

PROCULUS Lib. II. Epistolarum.

IN laqueum, quem venandi causa posueras, aper incidit; cum eo haereret, exemptum eum abstuli. Num tibi videor tuum aprum abstulisse? Et si tuum putas fuisse, si solutum eum in sylvam dimissem, eo casu tuus esse desisset, an maneret? Et quam actionem mecum haberes, si desisset tuus esse, num in factum dari oporteret (quaero)? Respondit, laqueum videamus, ne intersit, in publico an in privato posuerim, Et si in privato posui, utrum

A

in

in meo, an alieno, & si in alieno, utrum permisso ejus, cujus fundus erat, an non permisso ejus posuerim? Præterea utrum in eo casu ita haeserit aper ut expedire se non possit ipse, an diutius luctando expediturus se fuerit? summam tamen hanc puto esse, ut si in meam potestatem pervenit, meus factus sit. Sin autem aprum meum ferum in suam naturalem laxitatem dimisisset, eo facto meus esse desisset, & actionem mihi in factum dari oportere, velati responsum est, cum quidam poculum alterius ex nave ejecisset.

CAPUT I.

PROCULUS Lib. II. Epistolarum.

Sempronium Proculum legis, quam explicandam suscepit, auctorem, extremis Tiberii temporibus floruisse, & inter Jctos principem obtinuisse locum, notum est. sane in *l. 17. de jur. patr.* eum *haud levem juris auctorem* vocari audimus, quod κατὰ λιτότητα dictum *excellentem Jctum* significat. Unde etiam major ipsius, quam Cassii & Sabini in jure interpretando auctoritas fuisse dicitur, v. *l. 2. D. S. ult. de Orig. jur.* & in omnibus controversiis sententia illius prælata est, paucis tantum, quæ a Justiniano in *l. ult. C. de usufr. usuve & habit. & l. ult. de servit. & aqua. recen-*

fens

I N A U G U R A L I S.

sentur, exceptis. An autem hic ille sit, cujus Tacitus *Lib. 1. § 2. Hist.* mentionem injicit, quemque Præfectum Prætorio temporibus Othonis fuisse tradit, non operæ pretium existimo, investigare. Si cui ejusmodi tricis tempus disperdere adlubescit, ille Biographos veterum Jætorum consulat, & satis magnam argumentorum super hac re in utramque partem congestorum farraginem reperiet. Inter opera, quæ hic Jætus juri illustrando conscripsit, eminent *XI. Libri Epistolarum*. Nam licet in Indice Pandectis Florentinis præmissio legatur: Προκόβης ἐπιστολῶν βιβλία ὀκτώ. tamen cum in *l. 69. D. de contr. empt. l. 12. D. de Præsc. verb. l. 17. D. de pact. dot.* aliisque undecim illius libri Epistolarum laudentur; non est, cur hic indicis illius fides nobis potior sit, præsertim cum jam dudum Cujac. *Lib. II. Obs. Cap. 21.* & post eum Ampl. Bynkershoek *ad L. IX. D. de Leg. Rhod.* non multum illi tribuendum esse, utpote admodum mutilo & imperfecto satis evicerint. solebant autem Jæti quædam opera sua in quibus responsa ad quæsitæ per epistolas continebantur, *libros Epistolarum* appellitare, quemadmodum illud ex *l. 2. D. de Fideic. libert. & l. ult. D. de minor.* nec non *l. 16. D. de administr. tut.* perspicere datur. Et hoc nomine etiam Proculum hos suos libros insigniisse videmus, quos tamen potius *Epistularum* quam *Epistolarum libros* scribendos esse arbitrer, cum codex Etruscus perpetuo & constanter *Epistula* habeat, nec ullo loco *Epistola* & præterea in manu exaratis veterum auctorum libris *Epistulam* scribi tralatitium sit. Vid. Briffon. *parerg. §. 12. seqq.* Et hæc quidem super hac inscriptione adsperisse sufficiat. Nunc ad ipsum hujus legis argu-

DISPUTATIO JURIDICA

mentum evolvendum adgrediar, verum non more ple-
risque, qui his temporibus Disputationes confarcinant,
recepto, ut nempe adductis ex mille auctoribus, quos
nunquam legerim, ac ne nomine quidem antea appel-
lari audierim, testimoniis quamlibet tritisimam & vul-
gatissimam rem adstruere sim laboraturus. Scio qui-
dem, hoc admodum esse facile, cum plerique qui nunc
eduntur, libri satis locupletibus sint indicibus instructi,
& præterea, qui jam super hac materia commentati
sunt viri docti, laborem ex aliis auctoribus huc spectan-
tia congerendi jam præoccupaverint, quos igitur & si-
mul ab illis laudatos tanquam meam sententiam vel ful-
ciantes vel destruentes nullo negotio adducere, & sic
hominibus has Lavernæ technas ignorantibus me pro ho-
mine in legendis auctoribus versatissimo venditare pos-
sem. Verum quia vana ejusmodi gloriola animum mi-
hi non potest titillare, & magis metuo, ne, hac frau-
de a peritioribus rerum arbitris detecta, ludibrium de-
bere incipiam; simpliciter tantum quæ probanda erunt,
paucis legibus, aut uno vel ad summum duobus virorum
doctorum testimoniis firmare satagam; idque vel præ-
cipue eam ob causam, quod mihi semper visum est,
vel ipsos viros eruditos, qui libros tam incondita alio-
rum auctorum farragine suffarcinatos orbi litterario ob-
trudunt, tempus suum male collocare; cum nemo ex il-
lis sapientior evadat, & ita fiat, ut dum in aliorum opi-
nionibus perscrutandis tempus traducitur, mens aliquid
ex se producere impediatur, & ita non artibus & scien-
tiis incrementum sed avidis tantum bibliopolis lucrum
quærat. Ac ideo mihi semper commentandi ratio,
qua divinus Cujacius aliique primæ ceræ Jcti usi sunt,

vehe-

vehementer adrisit. Hos enim nunquam videas ad aliquid probatione muniendum accedere, nisi ubi ratio summa id exigit, & tum quidem non proletario undique collata coacervandi more, sed adhibito ex optimis quibuscunque scriptoribus delectu, ita ut nihil in horum Coryphæorum libris superfluum, nihil quod tedium moveat, reperias, sed, quo plura in iis legeris, eo plura ex iis imbibendi cupiditate inflammeris. Sed e diverticulo in viam. Unicum adhuc, antequam ulterius provehar, monendum mihi videtur; quod in hujus legis explicatione nullam variantium lectionum mentionem injiciam, id a me dedita opera esse factum, cum omnes, quas super hac lege mihi notare licuit, admodum leviculæ sint, nec ad sensum illius indagandum quidquam conferant, adeoque illarum commemoratione chartam disperdere religioni duxerim. Et præterea non sum Criticus, nec esse volo.

C A P U T I I.

*In laqueum, quem venandi causa posueras, aper incidit. Cum eo hæreret, exemptum eum abstuli. Num tibi videor tuum aprum abstulisse? Quod significationem horum verborum adinet, nihil in illis inest difficultatis, nec ulla indigent explicatione, præterquam quod verbum *venari* hic minus proprie pro *feras capere* sumtum occurrat, cum alioquin frequentiori significato pro *feras sectari, persequi*, usurpari soleat, unde ipsum *sectari* pro *venari* positum reperimus, ut apud *Virgil. Eclog. III. v. 75.**

DISPUTATIO JURIDICA

Si, dum tu sectaris apros, ego retia seruo.

Sensus est perspicuus. Quærit nempe JCtus, num, si in laqueum a me positum aper inciderit, ille meu factus sit, & nemini eum inde eximendi jus sit. Cujus propositæ quæstionis causam ut penitus ingrediamur, animadvertendum est, firmum quidem solidisque subnixum fundamentis fuisse juris principium, ad acquirendam alicujus rei possessionem & animum acquirendi & actum aliquem corporalem concurrere debere. l. 153. D. de R. J. l. 8. D. de adq. poss. nec aut solum animum, aut solum corpus huic fini obtinendo sufficere; l. 3. §. 1. eod. verum tamen veteris ævi Jctis super illa juris regula receptaque a majoribus definitione non eandem sedisse sententiam; sed alios illam paullo laxius interpretatos fuisse, statuentes, quasi utilitate illud inculcante, etiam tunc utrumque intervenisse, existimandum, cum animus signo quodam congruo esset manifestatus, simulque probabilis rei occupandæ facultas adparet. Unde si thesaurum in in meo fundo positum sciam, continuo me possidere, simulatque possidendi affectum habuero, Neratius & Proculus opinati sunt l. 3. §. 3. eod. non tantum, quia quod desit naturali possessioni, id animus impleat, quemadmodum ibi dicitur, sed quia, ubi voluero, illum occupare & corporaliter adprehendere possum, adeoque hic cum acquirendi animo facultas occupandi concurrit. In qua lege nec cum Radulpho Fornerio Lib. III. Rer. Quotid. cap. 23. verbum ideo, reluctante Latio, soli conjunctioni tribuere, nec cum Clar. Noodt Probab. Lib. II. cap. 6. nega-

gationem expungere ausim; cum, si ita in leges grassari liceat, quidlibet pro quolibet ex iis extundere, in proclivi esset. Mallem igitur cum Ampl. Bynkersh. *Observ. Lib. III. cap. 1.* hic nihil definire, quam, temerariis ejusmodi conaminibus, sanctitatem legum scelerare; alios autem inter res, quæ domino carent, aut eo nolente occupantur & eas, quæ ipsius voluntate ad alium transferuntur, distinxisse, & in illis quidem naturalem adprehensionem necessariam esse, in his autem sufficere existimasse, si quacunque ratione acquirentis custodia adservarentur. Quemadmodum ex *l. 5. §. 1. D. de adq. rer. dom. l. 67. D. de furt. l. 9. §. 5. de adq. rer. dom. l. 1. §. 21. de adq. poss.* satis dilucide adparet. Ad hujus igitur prioris sectæ sententiam quæstio in hac *l. 55.* proposita ejusque determinatio mihi referenda videtur, nec rectius ad illius intelligentiam perveniri posse puto, quam si hac via, observato hoc antiquiorum Jctorum diffidio, illius explicationem adgrediamur. Nam cæteri quidem interpretes, quotquot huic legi lucem adfundere conati sunt, dum hæc sententiarum divortia parum attenderunt, longe aliam Proculo mentem temere adfinxerunt, ac ipsi unquam fuit; sicuti hoc paullo post a me demonstrabitur. Ratio igitur dubitationis in proposita quæstione hæc erat, quod, cum res nullius, quales sunt feræ adprehendendo fiant occupantis, is autem, cujus laqueo bestia in-nexa hæret, proprie illam adprehendisse dici nequeat, sed animum tantum habeat, illam sibi acquirendi, minime primo quidem obtutu injuste facere videbatur, qui illam inde vel eximere vel dimittere animum induxerat. Videbatur enim illa bestia adhuc res nullius, a-

deoque

DISPUTATIO JURIDICA

deoque primo cuivis occupanti non deneganda. *l. 3. pr. D. de adq. rer. dom. Junct. §. 12. Inst. de rer. divis.* Ac licet laqueo meo implicita hæreret, cum tamen corpore meo illam nondum contigerim, quod utique ad acquirendam alicujus rei possessionem necessarium est. *d. l. 153. de R. J.* mihi nihil adhuc juris in illam competere, existimari poterat. Idque eo magis, si in loco quodam publico aut alieno, non impetrata domini venia, feris has insidias struxissem; cum in locum quidem publicum cuivis adeundi & feram reti illaqueatam eximendi facultas sit; in locum autem alienum quominus ingrediar, & fera capta potiar, dominus robustis fustibus me coercere queat, prodita ipsi insuper injuriarum actione, qua hanc meam temeritatem in alieno fundo grassandi vindicare possit, *l. 3. §. 1. D. de adq. rer. dom. §. 12. in fin. Inst. de rer. divis. junct. l. 13, D. §. ult. de injur.* Ad hanc autem sic formatam quæstionem, & dubia ex illa subnascentia non statim Jētus respondet, sed more, cum ipsi tum aliis juris sacerdotibus familiari, prius adhuc aliam ex illa deducit, & illa demum proposita, certum definire incipit; sicuti in progressu hujus disputationis videbimus.

CAPUT III.

Et si taum putas fuisse, si solutum eum in sylvam dimissem, eo casu tuus esse desisset, an maneret, & quam actionem mecum haberes, si desisset tuus esse, [quæro.] Alia quæstio ex superiori derivanda, sed tamen

I N A U G U R A L I S.

tamen non adeo extricatu difficilis. Si quidem hic tantum discutiendum venit, an fera capta, si naturalem suam libertatem receperit, ejus, qui illam occupaverat, maneat, an vero in illius dominio esse desinat. De feris mansuefactis aut cicuratis, quales sunt cervi, qui in sylvas ire & redire solent, aut pavones, columbæ aliæque volucres evolantes & revolantes certum est, eas, quam diu revertendi consuetudinem non deseruerint, domini manere, adeo ut & in familiæ erciscundæ judicium veniant, ac furti teneatur, qui ea sciens apprehenderit, §. 15. *Instit. de rer. divis. l. 8. §. 1. D. Fam. ercisc. l. 5. §. 5. D. de adq. rer. dom.* Verum de ejusmodi animalibus, quæ ferum animum nondum exuerunt, dubitari poterat, an non illa, naturali libertate recuperata, similiter adhuc pristini domini manerent, cum etiamsi ejus exciderint possessione, tamen non ideo etiam dominio illius exiisse existimandæ sint, utpote quod jus repetendæ possessionis parere solet, *Grot. de Jur. B. & P. lib. II. cap. VIII. §. III.* Unde nihil obstare videbatur, quominus pristinus dominus illam feram ab alio deinceps occupatam vindicare, aut cum eo, qui illam teretibus plagis exsolverat, actione experiri posset. Verum jam in eo difficultas vertebatur, quam actione temeritatem ejus, qui feram laqueis ita inhærentem dimiserat, coerceri consentaneum esset. Ac directæ quidem legis Aquiliæ actioni locum non dari, satis manifestum erat, cum illa contra eum soleat intendi, qui corpore suo præcipue damnum dedit, §. 16. *Instit. de Leg. Aquil. l. 51. eod.* Ille autem, qui feræ illaqueatæ evadendi viam aperuerat, non proprie corpore suo damnum intulisse dici poterat, si-

cut ille, qui hominem aut pecudem alienam suis manibus trucidavit, aut servum alienum de ponte in flumen projecit, ut is suffocatus fuerit. §. 16. *instit. de leg. Aquil.* Restabat igitur, ut utili seu in factum actione experiundum esse videretur, cum illa ex mente legis Aquiliae descendens quodcumque damnum per culpam alii datum persequatur. l. 13. *D. eod.* Nam non distinguimus cum Triboniano in d. §. 16. *instit.* aliisque juris interpretibus, per barbam illius jurare solitis, inter actiones *utiles* & *in factum* adpellatas, cum ex l. 11. *D. de præscript. verb.* luce meridiana clarius adpareat, nihil inter has actiones nisi denominationis sonum interesse; & præsertim cum in casibus, in quibus Tribonianus in d. §. ult. utilem actionem locum habere vult, ex. gr. si quis hominem alienum aut pecus ita incluserit, ut fame necaretur, aut pecus in tantum exagitaverit, ut præcipitaretur, disertissimis verbis in l. 9. §. 2. l. 29. §. pen. & l. 53. *ad leg. Aquil.* actionem in factum intendendam esse dicatur. Ut adeo Tribonianus, dum hanc triplicem actionum, *directæ*, *utilis*, & *in factum* differentiam commentus est, parum attentus fuisse mihi videatur, & vehementer mirer, cum hic Triboniani error a Clar. Thomasio in *dissert. de Philos. jur.* §. 146. *seqq.* tam solidis sit argumentis confutatus, Huberum in *prælect. ad Inst.* ei adhuc patrocinium quærere potuisse. Verum de his fatis. Progrediamur ulterius, & videamus, quid Proculus noster ad propositam quæstionem responderit.

CAPUT IV.

Respondit: *laqueum, videamus, ne intersit, in publico an in privato posuerim, & si in privato posui, utrum in meo an alieno, & si in alieno, utrum permissu ejus, cujus fundus erat, an non permissu ejus posuerim. Præterea, utrum in eo casu ita hæserit aper, ut expedire se non possit ipse, an diutius luctando expediturus se fuerit.* Jctus noster, antequam quæstionem ipsi motam solvere ingreditur, varias præmittit distinctiones, quarum in illa enucleanda rationem habendam esse, quis existimare queat; quem quidem morem post præmissas distinctiones rem una & simplici definitione determinandi aliis Jctis non infrequentem fuisse ex *l. pen. D. quæ in fraud. credit. facta sunt ut rest.* perspicere datur. Verum jam quæritur, utrum Jctus revera has distinctiones in hujus quæstionis decisione necessario ante oculos habendas esse judicavit, an vero eas tantum ideo proposuerit, ut ostenderet, primo quidem obtutu eas ad hanc quæstionem dirimendam aliquid momenti adferre videri, verum re exactius perpenſa nihil ad eam facere, adeoque insuper habendas esse. Ac Cl. quidem Voetius in *Comment. ad tit. ff. de adq. rer. dominio* eas tanquam ineptas & abs re alienas traducere, eoque etiam fine a Jcto præmissas esse, ut iis improbatis deinde veriore sententiam eliceret, palam profiteri non dubitat. A quo non multum abluſit Cl. Hub. in *Prælect. Instit. ad tit. de rer. divis.* existimans, magis ad discrimen actionis, quæ competere, quam domini feræ acquirendi Jctum hac di-

stinguendi ratione usum esse. Et sane quamvis nemini in alieno fundo animalibus feris insidias meditari, aut in illum ad prædam laqueis implicitam eximendam ingredi jus sit; tamen hoc nihil ad occupationem & acquirendum per illam dominium pertinere videri potest; siquidem fera naturali ratione primo cedit occupanti, adeoque non interest, dominus prohibuerit me fundum suum ingredi, an concesserit; cum ipsi, si prohibuerit, salva sit injuriarum actio. *l. 13. §. ult. D. de injur.* Et quod distinctionem illam adinet, *utrum scilicet ita hæserit aper, ut expedire se non posset ipse, an diutius luctando expediturus se fuerit*, illa etiam multis laborare videtur difficultatibus. Ecquis enim hoc certo judicare ausit, cum uno impetu & inflexione sæpius laquei vincula solvi, sæpius etiam multo arctius constringi possint? Et præterea, si fera vivario inclusa septa perruperit, & fuga in naturalem laxitatem evaserit, dicendumne ideo, illam in nullius antea possessione fuisse? sane hoc absurdum esse *l. 3. §. 14. 15. D. de adquir. poss. l. 3. §. ult. D. de adq. rer. dom. §. 12. in fin. Instit. de rer. divis. pr. Instit. si quadr. paup. fec. dic.* abunde evincunt. Alii autem, inter quos Cujacius *Obs. Lib. IV. cap. 2.* nec non H. Grot. *de J. B. & P. Lib. II. Cap. VIII. §. IV.* has distinctiones minime adspernandas esse autumant, sed eum, cujus retibus fera inhæreat, non aliter illius dominum posse haberi, quam si retia in suo aut alieno fundo permittente domino posuerit, & utroque casu aper ita hæserit, ut luctando se non facile expediturus fuerit. Quod vero Cujacius eumque secutus Theodorus Marcilius ad *§. 12. Inst. de rer. divis.* ex his distinctionibus colligunt, si quis

si quis in alieno fundo, domino repugnante, venetur, cum, veluti in pœnam, quod temerario ausu in aliena re domini jus usurpet, nihil suum facere, illud nullo nititur fundamento; cum *in §. 12. Inst. de rer. divis. §. 1. 3. §. 1. D. de adq. rer. dom.* disertis verbis contrarium inculcetur, nec quidquam obstat, quod venator ita ex sua improbitate nempe injuria domino illata lucrum faciat; si quidem aliud est ingredi fundum, aliud in illo venari, priori quidem illicito, utpote cum fiat in re aliena, ideoque etiam actione injuriarum domino parata; hoc autem posteriori permisso, utpote cum in rebus nullius versetur, quæ ideo naturali ratione occupanti acquiruntur. Nec movere potest, quod cum malæ fidei possessor fructus perceptos restituere teneatur, ejusmodi venator, qui mala fide feram ex fundo, quem sciebat alienum esse, abstulit, pari modo illius dominio privandus videatur; cum feram in fructu esse nusquam dicatur, & præterea absurdum sit, eum, qui feram in alieno fundo cepit, cum malæ fidei possessore velle comparare; utpote cum non rem alienam occuparit, sed feram, quæ nullius est. Vid. Cl. Voet ad *Tit. Pand. de adq. rer. dom.* ubi pluribus hanc dissentientium opinionem destructum it. Nec melior est Balduini ad *§. 12. Instit. de rer. divis.* sententia, feram in alieno fundo invito domino captam ad fiscum pertinere statuentis; si quidem, etsi ratio illam confiscandi non iniqua videri queat, tamen nullus in jure exstat locus, ex quo, illud ita cautum esse, possit demonstrari. Videamus igitur, an non veram Proculi nostri super hac quæstione mentem eruere, & vitatis, in quos prædicti interpretes impegerunt, scopulis sententiam &

juris principiis & rationi convenientiorem proferre queamus.

CAPUT V.

Summam tamen hanc esse puto, ut si in meam potestatem pervenerit, meus factus sit. Verba hæc, *summam hanc esse puto*, nihil aliud significant, quam, *rem eo redire, rei cardinem in hoc versari, illud unicuique in hac quaestione considerandum esse, seu illam generali hac definitione posse decidi.* Non opus esse arbitror, ut, hanc esse vocis *summa* significationem, auctoritatibus adstruam; cum nemini de eo dubium suborturum credam, & præterea perituræ parcere chartæ constituerim. Jam igitur quaeritur, quid *Jctus* his verbis, *ut si in meam potestatem pervenerit* innuerit. Ac primo quidem absurdum videri poterat responsum, si quidem illud ipsum *utrum aper in potestatem pervenerit*, in quaestione vertebatur. Nam cum aper ita hærebat laqueis meis constrictus, dubitari poterat, an non in mea jam esset potestate, cum, ut aliquis in mea constituatur potestate, nihil interesse videatur, utrum manibus meis, an instrumentis detineatur. Et sane non inficiandum est, Proculum mentem suam clarius exprimere potuisse, eoque nomine antiquos *Jctos* vel maxime reprehendendos esse, quod dum in suis decisionibus breves esse studuerunt, sæpiusculæ ænigmata ipsis quaestionibus, quas enodare adgressi erant, obscuriora consulentibus obtruserint; quem respondendi morem qui adhuc defendere & tanquam nervosum magnæ ad-

adscribere sapientiæ conantur, ii nimio antiquitatis studio delirare mihi videntur. Sed tamen non ita obscura sunt hæc Proculi verba, ut non commodus inde sensus elici, quidque hic Jctus super hac proposita quæstione sententiæ foverit, adhibita paullo exactioris judicii trutina, colligi queat. Nam si verba illa: *si in meam potestatem pervenerit*, cum Cl. Noodt *Probab. Lib. II. C. VI.* pro, *si in meam potestatem pervenire potuerit*, posita esse interpretamur, quemadmodum hoc commodissime, non invito linguæ Latinæ genio, fieri potest, nihil utique amplius in illis remanet difficultatis, nihil, quod plenissimum illorum impediatur intellectum. Etenim tunc nullam aliam Proculo mentem fuisse liquido adparet, *quam aprum ita laqueis meis constrictum tum demum meum factum videri, si illius occupandi & sub meam redigendi potestatem facultas idonea mihi daretur*; quam cum non habeam, si aper in loco publico meis retibus inciderit, cum cuilibet in eo versandi jus sit, adeoque ab alio æque ac a me occupari possit; nec etiam, si in loco privato sine permisso domini retia posuerim, cum illi jus sit, quoties voluerit, laqueum in fundo suo adeundi, & feram apprehendendi; sequitur feram, quæ retibus in publico aut alieno loco præter voluntatem domini positis illaqueata hæret, meam nullo modo dici posse. Sicuti etiam illa in meam pervenisse potestatem non videtur, quæ laqueo quidem inhæret, sed ita, ut nisu corporis & luctatione in libertatem se vindicare queat, siquidem hanc similiter, quando mihi lubet, occupare non possum, utpote nullo non momento, & præcipue cum me sui eximendi causa procul aduentantem viderit, majori impetu laquei nodos

dos rupturam. Vult itaque Jētus in hac re prudentis judicis arbitrio multum esse tribuendum, ut ille ex circumstantiis, num revera aper laqueo inretitus in potestatem pervenisse censendus sit, æstimet. Nam si ita hæserit, ut etsi non apprehensus sit, tamen naturaliter probabiliterque apprehendi potuerit, tunc non esse dubitandum, quin ejus factus sit, qui laqueum posuerit. Et ita videmus, Proculum in hac quoque lege sententiæ suæ, qua nonnunquam possessionem animo adquiri, si nempe facultas rei occupandæ probabiliter cum eo concurreret, existimabat, documentum dedisse, quemadmodum jam in hujus Disputationis vestibulo demonstravimus. Nec quicquam huic explicationi obstat, quod verbum *pervenerit* hic justo audacius pro *pervenire potuerit* sumatur, siquidem hunc loquendi usum aliis Jētis non infrequentem esse ex *l. 21. D. de stat. liber.* adparet. Et præterea etiam si *pervenerit* non exponamus *pervenire potuerit*; tamen nihilominus salva res est. Nam quid obstat quominus verba, *ut si in meam pervenerit potestatem* ita capiamus, *ut si ita hæret, ut in mea sit potestate, adeo, ut eum quando mihi visum eximere queam?* Certe tunc eodem res redit, & non invito Latio Proculi nostri mens est apertissima. Quæ vero præterea argumenta huic expositioni obmoveri possunt, ea non multum ponderis habent, quale est illud, quod admodum difficile sit, conjicere, utrum aper se diutius luctando expediturus fuerit, nec ne. Nam cur illud non ex retis genere, cui inhæsit, aut ex ipsius magnitudine, aut corporis, quæ innexæ fuerunt, partibus æstimari queat? Longe utique hæc explicatio ei præstat, quam Cl. Voet. *in Tit. Pand. de adq. rer. dom.* comminiscitur,

tur, verba hæc *ut si in meam potestatem pervenerit*, nihil aliud significare statuens, quam *si meis retibus implicita hæserit*, præterquam enim quod sermonis Latini genius hoc respuat, etiam illud absurdi inde conficitur, quod si feram quocunque in loco laqueis meis constrictam, meam esse statuam, etiam contra eum, qui illam exemit aut dimisit, actio danda foret, nulla utrum in publico an privato fera exempta sit, ratione habita; cum tamen contra eum, qui in publico aut suo loco alius reti feram exemit, nusquam, alicui actioni locum esse, dicatur; id quod etiam ex sequentibus Jcti verbis clarissime adparet, nam si actio in factum locum haberet, quocunque etiam in loco fera inventa laquei vinculis explicita fuisset, Jctus non dixisset, *sin aprum meum ferum sed vel hunc aprum, vel aprum laqueis innexum*; quemadmodum cuivis intelligenti animadvertere in proclivi est. Et hæc quidem super hujus quæstionis determinatione dicta funto. Restat, ut quid Jctus de alia, quam ex illa priori deduxerat, senserit, paucis adhuc excutiamus.

C A P U T V I.

Si autem aprum meum ferum in suam naturalem laxitatem dimisisses, eo facto meus esse desisset, & actionem mihi in factum dari oportere, veluti responsum est, cum quidam poculum alterius ex nave ejecisset. Duo hic Jctum nostrum definire videmus, nempe aprum vinculis laquei emissum iterum incipere rem esse nulli-

C

us,

us, & cedere occupanti, & contra eum, qui temere hoc fecisset, ita demum actionem in factum dandam esse, si ille aper jam alterius factus sit, id est ita hæserit, ut alteri, libera, quodocunque voluerit, eum inde eximendi facultas fuerit; nam hoc verbo *meum* indicari manifestum est. Ac hujus quidem prioris ratio satis evidens est, quod ob difficillimam persecutionem, feram, quæ ita in libertatem evasit, pro derelicta habere credimur, præsertim cum jam amplius ab aliis internosci nequeat; quemadmodum etiam ratiocinatur H. Grot. *de J. B. & P. Lib. II. Cap. VIII. §. III.* ubi tamen addit, hanc conjecturam per alias posse elidi, si nempe certa quædam signa seu crepundia feræ addita sint, qualia ex historiis constat, cervos quosdam & accipitres habuisse, atque inde agnitos dominisque redditos fuisse. Alterius autem rationem jam in præcedenti *Cap. III.* indicavi, quod nempe actio in factum damnnum quacunque culpa datum vindicet, adeoque in hoc casu non poterat non locum habere; si enim constat, aprum esse meum, sequitur, eum qui in naturalem eum dimittit laxitatem, pari modo mihi damnnum inferre, ac ille qui poculum meum in aquam projicere non dubitat, illudque damnnum ideo hac actione reparandum esse.

Et hæc quidem mihi huic legi satis lucis adfundere videntur, adeoque pluribus eum in finem adferendis superfederi posse arbitror. Errata, quæ procul dubio satis multa in hoc opello sagacis naris deprehendet lector, deprecarer, nisi vererer, ne mihi, quod olim M. Cato de A. Albino censuit, quum in principio historiae ejus multis verbis veniam gratiamque malæ existimationis,

si

si quid esset erratum, postulari legisset, etiam jure ob-
 jiciatur; *me nempe nimium esse nugatorem, qui malu-
 erim culpam deprecari quam culpa vacare. Nam ve-
 niam petere solemus, quum aut imprudentes erramus,
 aut compulsi peccamus, me autem a nemine ad hoc com-
 mittendum, cujus causa veniam petam, esse perpulsam.*
 Etsi tamen adhuc alia mea sit ratio, quam eorum qui
 gloriae aucupandæ causa libros in lucem edunt. Ego
 enim non aliam ob causam in hanc descendi arenam,
 quam quod mos in Academiis viget, ut qui Doctoralem
 lauream consequi velit, ei specimen aliquod suorum in
 jure progeffuum edendum sit, adeoque ad illum adspi-
 rans honorem necessario ingenii mei vires in aliquo the-
 mate cogebat periclitari; quod si jam lividos Momos
 virulentis suis dentibus adrodere audiero, minime id me
 tanget, utpote mox in terras alio sub sole calentes ve-
 la daturum adeoque invidioso latrantium horum ca-
 num murmuri non amplius obnoxium futurum.

T A N T U M.



T H E S E S.

I.

*Tutoris auctoritas in ipso negotio est in-
rerponenda.*

II.

*Pater filio exheredato tutorem recte
dat.*

III.

*Periculum rei venditæ necdum traditæ
pertinet ad emptorem.*

IV.

*Beneficio legis 2. C. de resc. vendit.
non potest uti venditor, qui rei suæ
pretium scivit.*

JUVENI NOBILISSIMO ET
PRAESTANTISSIMO
ADRIANO MATTHIÆ
TEMMINCK,

*Cum summos in Utroque Jure honores consecutus
in Indiam Proficisci decrevisset.*

Ergone, Temminki, patria tellure relicta,
Stat tibi in extremos orbis abire sinus!
Nec pia te possunt remorari vota parentum,
Nec tot amicorum mente movere preces!
Nec reputas, quanti tibi sit maris æquor arandum,
Et capiti immineant quanta pericla tuo?
Quo ruis! Hic campi satis est spectabilis, in quo
Ingenii dotes explicuisse queas.
Hic quoque virtutem sua præmia ferre videmus,
Invidia quamvis sæpe repulsa gemat.
An tibi, quod Batavæ cesserunt mente puellæ,
Nigra per æquoreas quæritur Inda vias?

Improbe amor? tantumne rapis mortalia corda,
Ut possint generis non meminisse sui.
An, quod fraude vides fucoque hic omnia plena,
Orbis te tetigit simplicioris amor?
Crede mihi, quæcunque petas loca, regnat Erinnyis,
Est hic, est alibi rara, & ubique, fides.
Sed quid ego clausis hæc auribus occino frustra,
Certus es e patriis finibus ire tamen.
Certus es adspectu te mox subducere nostro,
Et dare spumiferis lintea vela notis.
Ergo tibi potius, moesto licet ore, supremum
Ingeminare parat, nostra Thalia vale.
Illa tamen lætum Themidis te linq̄ere templa,
Conspicuum summo juris honore videns;
Gratari gestit tibi partos ante triumphos,
Quæque tuas cingunt laurea ferta comas.
Maeste nova, juvenum flos præstantissime laude,
Vertice sic cœli signa ferire datur,
Utque facis, proavûm vestigia clara tuorum,
Quos celebrat mortis nescia fama, preme.
Sic, optata tibi fueris cum litora nactus,
Dicere Eoi maximus orbis amor.
Addere plura libet, sed præla, typographus ægre
Fert, cessare, iterum dulcis amice, vale.

*Hæc festinante calamo
amico suo apposuit*

C. L. JUNGIUS J. U. D.

Ter Eere vān den Wel-Ed.

H E E R

ADRIAAN MATTHYS
T E M M I N C K,

toen zyn Ed. tot Meester der beide Rechten

wierd bevordert.

O f f s c h o o n ik verre van den bron
Daar Pegasus by pleegt te draven
afwoon, en Phoebus nooit verwon
Daar mynen dorst te mogen laven,
Heeft egter my het handgeklap
Waar meê myn Vrind met d'eerstelingen
Van zynen geest, met wetenschap
En deugd vercierd, komt in te dringen

In

In Themis tempel, aangespoort.
Myn vreugd ook met dit dicht te toonen,
't Welk schoon 't niet klinkt, zo als 't behoort,
Noch ruikt na Phoebus lauwerkroonen
Maar toetreet met een manken voet
Wilt echter 't uwe hand maar geven.
Zo krygt het na verloren moed
Veel meerder luyfter meerder leeven,
Wilt myn ô Themis waarde Zoon
Oprecht gemoed alleen betrachten,
Dat U geluk wenscht met de kroon
Van naarstigheit en vlyt te wagten
Een kroon, die nooit verwelken zal
En nooit vergaan als and're dingen
Maar u verheft van 't Aardsche dal,
En plaats maakt by de hemelingen.

Leef

Leef lang tot vreugd en toeverlaat
Van weduw, wees, en waarde vrinden,
Zo zal de Faam, die steeds omgaat
De gantsche Wereld, stoffe vinden
Van TEMMINCKS naam, het zy waar 't zy,
En Ed'le deugden uyt te breiden,
En Hy met dat gedeelte by
Ons zyn, schoon van ons afgescheiden.

Amicus Amico.

TER BEVORDERING

van den Wel-Ed: HEERE

ADRIAAN MATTHYS
TEMMINCK,

tot Meester der beide Rechten.

Met regt mag men deez' dagh ter uwer eere zingen;
O TEMMINCK! die verkoos het puik der oeffeningen,
Het recht zo hoog geschat, van yder aanbeden,
Het recht de stut en steun van landen en van steden,
En nu van Themis naa het winnen van den strydt
In haaren Tempel word tot Meester ingewydt.
Myn Zangnimf gants verheugd, dewyl zy uw' verlangen
Nu ziet voldaan, wenst u met deez' haar tedre zangen,
Dat steeds het heilig recht uw zyde mag bekleden,
Zo meld de Faam uw' lof van 't Oost in Neêrlands steden,
Wanneer gy van gevaar bevryd zyt aangeland,
En 't ryk Batavia u groet aan zynen strand.
Leef, Waarde Heer, Leef lang, vaart voort in 't onderzoeken
Van Romens Oudheên zo geacht by Letterkloeken,
't Geluk dat wil U voorts voor alle ramp bewaaren,
't Geleid' U waar gy gaat, 't geleid' U door de baaren,
Het maak' U naar uw' wensch in Indus welickom,
En schenk' U spoedig aan uw' Vaderstad weêrom.

Raptim.